



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Praepositi S. Pangratii, Usqve Ad Nostra Tempora Fvervnt Hi Seqventes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13591**

cessitq; in Principatu Boiarico Ottonis gener, Welpho primus Dux Boiarie qui profectus Hierosolyma, Obiit An. 1101. relinquens duos filios, Welphonem secundum Ducem Boiarie, & Henricum VIII. qui ambo potiti sunt Boiaria.

CIRCA ANNUM 1085. Segiburga foemina quaedam, cum fratre Erenberto, quaedam praedia in Haselpach (cuius Templum anno praecedenti, ab Altmano Archiepiscopo Salisburgensi consecratum fuit) tradidit D. Pancratio.

TERTIUS Parochus Herenbertus de Phaphing extitit tempore superiorum Ducum Bauariae Welphonum, postea inuitati sunt Canonici Augustiniani, fuitq; extractum Monasterium dessem penè annis, & Parochia in Coenobium commutata, quae administrata fuit à Sacerdotibus popularibus annis ferme octoginta.

ERANT hoc tempore in toto Romano Imperio maximae autoritatis Cunradus de Abensperg, Archiepiscopus Salisburgensis, & pleriq; Sacerdotes populares, eius nomine, religione, & iustitia moti, disciplinam Augustinianam profiteri coeperunt, eiusq; hortatu & suasu, Henricus octauus huius nominis, Dux Boiorum, Canonicis & mystis Augustinianis Parochiam & Templum D. Pangratij tradidit, contuberniumq; sacris D. Augustini initiauit, eiusque religionis sacratis viris & foeminis illud dicauit. Nam ibi sacratarum foeminarum Coenobium fuisse, testantur pleraq; vestigia & monumeta, quae adhuc extant in libris, instrumentis, Templo & Monasterio maxime occidentem versus. Non plus tamen, quam sex receptae sunt quarum vna fuit Praeposita, ita scribit Cunradus primus, D. Pangratij Praepositus.

PRÆPOSITI S. PANGRATII, USQVE AD  
NOSTRA TEMPORA FVERVNT HI SEQVENTES.

RAPHOLDVS primus Praepositus, cuius mentionem facit diploma superioris Henrici octavi, Ducis Boiorum, in quo, consensu Wulphildæ vxoris, dat decimas in pago Ranshouen, de nemore Wilchart ad aram D. Pangratij, cum aliis quoq; praediis, &c. cuius datum est in palatio Ranshouen, Anno 1128. praesente Ottone Palatino, Friderico de Regenspurgo Aduocato, Helperto de Geren, &c. Auentin. lib. 6. fol. 618. Decimo ab hinc anno, nempe 1135. primo consecratum est Monasterium à Reginoberto Episcopo Patauiensi, sexto Idus Nouembris, Henrico Duce IX. Boiorum, filio Henrici Magni, genero Imperatoris Lotharij, qui dictus fuit superbus. Ita annotauit Conradus primus Praepositus 14. à Burghusio oriundus, vir diligentissimus, his verbis: Extabat adhuc, dum hæc scripta sunt, imago Reginoberti, etiam inscripto nomine depicta in pariete veteris Templi. Sub idem tempus Anno Christi 1138. in valle & ripa Oeni (vbi nunc Brundunum vrbs sita est, quæ tum adhuc sedes nobilium erat, qui inde cognominabantur, & in Ranshouen, vt liber donationum indicat, sepulti sunt) Sacellum D. Stephano dedicauit superior Chunradus, Archiepiscopus Salisburgens. & Romanus Gurcensis.

Nobiles de  
Brauna.

PROXIMO deinceps anno, Fridericus de Ror, & vxor eius Bertha, pdium in Ror donant, & Richonum filium discipline D. Augustini addicunt, autores fuere Chunradus Salisburgensis & Romanus Gurcensis, Episcopi. Atq; hi Nobiles à Ror, vt liber donationum demonstrat, sepulti sunt in Monasterio Ranshouen.

Nobiles de  
Ror.

ANNO 1142. Imperator Conradus tertius Templum sancti Pangratij in tutelam Imperij accipit, quod ait ab Henrico Augusto, Proauo suo, extractum, decimisq; donatum esse.

RAPHOLDVS primus Praepositus obiit Anno 1146.

MANE.



- EGOMANLDVS, vir doctus, & artium Magister, impetrauit ab Eberhardo Archiepiscopo Salisburgenfi Parochiam Hochenvverch, & confirmationē priuilegiorum ab Eugenio III. Pont. Max. suffragante Heinrico X. Archiduce totius Boiariæ Orientalis & Occidentalis, filio D. Leopoldi. Sedit annos 11. Obiit Anno 1157.
- MEINHARDVS, qui & Megenhardus, impetrauit ab Hadriano quarto Pontifice Summo priuilegiorum comprobationem, efflagitante Heinrico XI, qui Leo cognominatur, Duce Boiorum & Saxonum potentissimo, qui dedit Megenhardo Præposito donaria & priuilegia; vbi fatetur à suo parente Heinrico Magno, Duce Boiariæ & Saxonæ, primū inuitatos esse Sacerdotes D. Augustini religionem profitentes. Præfuit Meinhardus annis 5. Obiit Anno 1162.
- ALTMANNVS confirmationem Ecclesiæ Hochenvverch de integro impetrauit ab Eberhardo Episcopo Salisburgenfi; sub eo Anno 1169. Basilica D. Michaëlis consecrata est. Præfuit annis 16. Obiit Anno 1178. 12. Calend. Maij.
- ALHARDVS, qui integrè Adelhardus, Euangeliorum vetustum codicem faciendum curauit. Præfuit annis 3. Obiit Anno 1180.
- LIVTHOLDVS præfuit annis 6. Obiit Anno 1186. Is perhibetur fuisse thesaurarius Ottonis Witspachij, primi Ducis Boiariæ.
- ETICHO præfuit annis 9. Sub eo Anno 1189. primo anno expeditionis Asiaticæ Imper. Friderici primi Diepoldus Episcopus Patauiensis, ipse quoque cruce signatus, duo altaria consecrauit. Nondum enim fuisse videntur in his locis illi titulo tenus Episcopi, quos Suffraganeos vocant: ipsi locorum Pontifices omnia Ecclesiastica officia obibant, Eticho Præpositus impetrauit à Pontifice Cœlestino III. confirmationem priuilegiorum. Obiit Anno 1196.
- BERTHOLDVS præfuit circa Annum Christi 1200. tempore Ludouici primi, Comitis Palatini Rheni, & Ducis Boiariæ, filij superioris Ottonis. Obiit Anno 1209. Sedit annis 13.
- WICHARDVS publica sententia euicit, obtinuitq; vt Ranshouen perpetuò absolutum sit à jure Archidiaconi Patauiensis. Rexit annos 15. Obiit Anno 1224. 4. Calend. Aprilis.
- MARQUARDVS fuit Monasterij Præpositus annis 6. Obiit Anno 1230.
- HENRICVS primus, vir prudens ac peritus, Archidiaconusq; ob sapientiam, relatus est in numerum domesticorum Sacerdotum ab Imperatore Friderico secundo. Sub eo (sicut annotauit Chunradus primus Præpositus) ab hostibus ex Obernperg Monasterium combustum est, iuxta versum in pavimento Basilicæ, ac laterculis coctilibus hæc clades in Annum Christi millesimum, ducentesimum duodequadragesimum refertur, quam Cunradus quarto demum anno, hoc est, Anno Christi 1243. factam fuisse annotauit. Incendium hoc factū in magno illo schismate inter Pontificem & Imperium, scilicet Fridericum secundum, de quo latè Auent. in Annalib. suis, fol. 687. cum præcedentibus lib. 7. Henricus Præpositus cum summa industria rem Cœnobij annos 15. rexisset, obiit Anno 1245. 7. Calend. Augusti. Emit domum Patauiæ.
- ORTLIEBIVS præfuit annis 10. Sub eo rursus instauratur Cœnobium, cōsecratumq; tēplum ab Ottone, Episcopo Patauiensi, oriundo de Lonstorph, Anno 1255. Obiit eodem anno, &c. Superiorum antistitum sepulturæ cognite quidem non extant. Ideo plura de eis scribere non licuit. Subsequentium extant monumenta.
- SEIFRIDVS sedit annis 23. cessit administrationi, & ad priuatam vitam rediit, sextoq; post mense defunctus est, Anno 1277. sexto Idus Iunij. Impetrauit decimas templi S. Ioannis ad Mætickam à Petro Episcopo Patauiensi, item à Cle-



à **Clemente IV.** Pont. Max. vt Parochias per suos Symmystas atq; Canonicos administraret. Sub eo consecrauit duas aras, vnam viuifice cruci signo immortali, alteram ad meridiem indiuidue Trinitati, superior **Petrus**, Episcopus Pataviensis. Ad idem temporibus, quemadmodum ipse **Sifridus** ad **Clementem** quartum in Epistola deplorat, ob diuturnum bellum Regis Bohemæ, & Ducum Bauariæ, Ranshouense contubernium ad tantam inopiam redactum est, vt, vbi ante 24. Sacerdotes, aliiq; 50. homines alerentur, vix tum 3. pascerentur.

**CVNRA DV S** primus, Burghusij natus, Archidiaconus Maticensis, vir diligentissimus atq; ingeniosissimus, electus Anno Christi 1277. feria 3. quæ fuit proxima dies post festum Bartholomæi. registrum siue libellum, priuilegia, census, prædiaq; continentem confecit. Legatus **Henrici**, Ducis Bauariæ, ad **Cæsarem Rudolphum** missus, ab **Alberto**, filio **Cæsaris**, Duce Austriæ, immunitatem vectigalium vini impetrauit, & in numerum domesticorum Sacerdotum relatus est, quicumque eius concioni sacrificioq; interfuit sceleribus expiatus, denum dierum venia donabatur. Opera sua instaurauit Cœnobium, pauimentum templi strauit latericisq; coctilibus pulchrum suæ diligentia industriæque monumentum. Præfuit annis 34. Obiit Anno 1311. 8. Idus Maij. Sub eo Sacellum **D. Stephani** translatum est in urbem **Brundunum**, ibi maior ædes & Parochia constructa sunt. Quo etiam tempore 1283, templum **Ranshouen** consecratum ab **Henrico**, Comite de **Roteneck**, Episcopo **Ratisbonensi**. **Henricus XII.** Boariæ Dux, sumptus magnifice præbuit. Inde obuiam profectus est **Alberto**, Duci Austriæ, qui in cella circa **Ried** cum **Friderico**, Episcopo **Salisburgensi**, hostili animo castra metatus fuerat. Redierunt tamen in concordiam Duces.

**CVNRA DV S** secundus **Brundunensis** multam familiam more **Principum** aluit, grande æs alienum contraxit, gubernauit Monasterium annis 21. Obiit Anno 1332.

**VLRICVS** primus, ob profusionem Antecessoris sui, leges gubernandi ab **Alberto** Episcopo **Pataviensi** accepit. Sacellum iuxta ædem **D. Michaelis** eo tempore **Spiritu sancto**, & **D. Osvvaldo** extructum est ab **Vlrice Schön**, ciue **Brundunensi**, Anno 1337. Rexit annos 10. Obiit Anno 1342.

**WERNHERVS** refici & pingi curauit Capellam **D. Catharinæ**, vbi pidi<sup>9</sup> fuit. Rexit annis 21. Obiit Anno 1363. 4. Nonas Octobris. Pauperum amatorem fuisse perhibent, & quam paucissimis prædia locatæ tributis. Sub eo fundata est **Missa** in superiori Choro, ab Imperatore **Ludouico** quarto.

**HENRICVS** secundus præfuit annis 12. Obiit An. 1375, quarto die ante **Cal. Octobr.** Sub idem tempus **Albertus Thomlinger** ædificauit sacram ædiculam, extra ostium templi Occidentem versus **D. Andreæ**, Anno 1372.

**STEPHANVS** pingi curauit Sacellum **S. Barbaræ**, Anno 1376. Rexit annis 13. Obiit Anno 1388. in festo conceptionis **Deiparæ**.

**HENRICVS** tertius, nomine **Gamperl**, gubernauit Monasterium annis quinq; . Migravit ex hac vita Anno 1393.

**MATHIAS** Cœmeterium **Brundunensibus** concessit, quod consecrauit primo die **Dominico** **Quadragesimæ** **Ioannes Minorita**, Suffraganeus **Pataviensis**, Anno 1406. Qua etiam tempestate **Xenodochium** conditum est **Brunduni**, Præfuit annis 33. Vita functus est Anno 1426. 3. die **Septemb.** humatus est in medio templo, vbi eius extat monumentum marmoreum.

**HENRICVS** quartus, cognomine **Prellar**, homo ambitiosissimus & iracundus, æs alienum conflauit, ideoq; amotus est à **Præpositura**, iterum tamen electus, præfedit annis 9. Obiit Anno 1435. 7. **Calend. Augusti**.

ERAS.



- XXIII. ERASMVVS Ridmundt præfuit annis 9. Obiit Anno 1444. in festo S. Margarethæ. Pictus extat in specularibus Bibliothecæ. Posuit primum lapidem fundamenti templi Brundunensium, quod hac ætate extat, Anno 1441. Hactenus Nobiles duntaxat Monasterij Canonicos exlegesq; maximè Præpositos fuisse fama refertur, quod & in aliis quibusdam Cœnobiis reperitur.
- XXIV. FRIDERICVS Gunderstorfer primus religionis seuerioris iugum suis symmystis imposuit, decreta dedit, ad præscriptum viuere modum, dormire, precari coëgit, Monasteriumq; reformauit iuxta D. Augustini dogmata; tum nouas leges victitandi, cubandi, psallendi, tacendi, vestiendi, datas Cœnobio reperiō: Nam quanquam etiam antea literis librisq; scribendis operam dederint huiusmodi Symmysta, cœtum iuuenum æmulantium studia habuerint, atq; bonis moribus ac artibus instituerint, tamen nec ista præter rem videbantur. Præfuit Fridericus annis duntaxat 4. Obiit Anno salutis 1448.
- XXV. VL RICVS secundus, Puecher cognominatus, antea Decanus, præfuit annis 3. Obiit Anno 1451. in vigilia S. Thomæ Apostoli.
- XXVI. THOMAS Witel gubernauit annis 11. Obiit Anno 1462. in festo sancti Benedicti Abbatis. Euangeliorum nouum codicem, quem plenarium vocant, fieri curauit.
- XXVII. ERHARDVS Gossenperger imprudens rerum humanarum fuit, a salienum contraxit; sexto itaq; gubernationis anno à dignitate remouetur, vixitq; priuatus 25. annis. Obiit Anno 1493.
- XXVIII. WOLFGANGVS Hospes & aduena, post Erhardum dignitate motum, euocatus ex Tyrenstain, Austriæ Monasterio & oppido, vir rei familiaris peritissimus, alter Monasterij conditor, primum lapidem templi Michaelis, quod modò extat in Ranshouen, ponè Monasterium posuit, Anno 1474. anno prioris Sacellum leproforum dedicatum fuerat. Dormitorium à fundamento construxit. Iniit dignitatem Anno 1468. Rexit annis 23. & Anno 1491. 15. Calend. April. obiit.
- XXIX. LEONHARDVS Callinger succedit Wolfgango, gubernauit Monasterium annos tantummodò 3. menses 6. migravitq; ex hac vita, Anno 1494. decimo die ante Calend. Augusti.
- XXX. BLASIVS Rosenstingl construxit ædiculam sacram Deiparæ virginis in ambitu. Præfuit annis ferè 10. Mortuus est ægritudine animi octuagenarius, flexis genibus, Anno 1504. eleemosynarius fuit, etiam calceos de pedibus detractos pauperibus dedit.
- XXXI. CASPAR Durndl à Müldorf oriundus, vir humanus & modestus, rerum diuinarum humanarumq; peritissimus atque diligentissimus, pleraque redimendo emendoq; Cœnobium non parum ditauit. Misit ad publica gymnasia Viennam Sacerdotes suos, qui honestis literis & Philosophicis vsque ad supremam palmam operam darēt; consumpsit in hoc egregio facto, aliquot nummorum aureorum centenarios. Vniuersum Templum de integro à fundamentis ædificauit, de lubris instruxit, pingendumq; curauit. Eius opera & tussu Annales huius Monasterij perscripti sunt, Anno 1516. deinde recogniti, anno 1523. per Ioannem Auentinum abbreviati & completi, anno 1579. an. 1508. idè Opr. Pater, feria secunda post Lætare, primum lapidem adyti siue Chori, coherentisq; ædificij posuit. Altitudo lapideorum parietum absoluta est in vigilia sancti Martini, proxima deinceps æstate tectum perfectum est, Anno 1510. Tectudines, cameraq; Chori facta, anno 1512. ædes domusq; eorum, qui victum in Monasterio emere solent, extructa est, Præbendarias vocant.



AVGVSTINVS, cognomine Munick, vt auctoritate, eruditione & pietate insignis, ita modestia vita, cæterarumque virtutum dotibus, nec non rei familiaris gubernatione haud inferior Casparo Türndl, cui An. 1529. foelici successit omine. Is, inquam, Augustinus in ipsa die Ambrosij, quæ erat 4. Aprilis, An. 1529. electus in Prepositum & confirmatus rexit annis 31. atq; Monasteriũ, q; à Prædecessoribus emendo, redimendoq; ditatum fuerat, singulari arte, industriaq; indefessa, in omnibus conseruauit. Atque, quæ ad vsum quotidianum necessaria erant, nihil eorum, quin extrueret, prætermisit. Fuit amans pauperum, beneficus fautor literarum & liceratorum. In Schola propria pro Tyronibus pauperum iuxta cœmiterium ædificata, ratione temporis, ad 100. & vltra benignè aluit, quibus etiam non modò Magistros & Præceptores magnis sumptibus præfecit, sed illis ipsiis æquè de victu, amictu, libris atque aliis ad studia & sustentationem necessariis rebus prouidit atque prospexit, & multos inde ad Academias suis sumptibus misit; ita vt eodem tempore Ingolstadij septem sustentauerit Studiosos. Et quamuis magnos hanc in rem sumptus faceret, nihil tamen æris alieni contraxit, nec in re familiari procuranda quicquam damni fecit. Fuit ab ineunte ætate deuotioni, pietati, orationibus & rebus spiritualibus summè & semper deditus, quibus ritè expeditis, regiminis sui curis omni animi sedulitate ac fidelitate vacauit, vltimo senio confectus, Prælaturam spontè resignauit, Anno 1560. die 5. Iunij, Hoc totum tempus, quo à secularibus occupationibus liber fuit, orationibus, gemitibus, & suspiriis ad Deum pro communi salute effusus tradidit, noctes diesq; Deo inseruiens. Anno demum 1566. 28. die Octobris, solus in campo deambulando Apoplexia ictus diem obiit, ætatis suæ anno 78.

ADAM Gensleutner, patria Carnus, sed in Bauaria à pueritia educatus, post resignationem, D. Augustini vnanimiter electus, præest adhuc hoc M. D. LXXX. Anno vtiliter ac laudabiliter.

NOBILITAS QUAE SEPVLTA EST IN  
HOC MONASTERIO.

Nobiles de Brauna,	Thomlinger de Aufhausen,
Hainrich von Haim/	Notleich de Praunau,
Werdorffer/	Neustlinger de Vorstorn,
Reomar/	Doar/
Eringer/	Die Esel/
De Ror,	Kaidenpacher/
Seisrid Dorffer de Danckelsing,	Kosselheld.

Comi- Walde/	De Wolffsperg milites,
tes, Stähl Milites de Iulbach,	De Tarstorph milites,
Granssen de Vtendorph,	Berchtold Schick/
Planckenpach milites,	Lenberger.

DE ADVOCATIS.

CVRATORES vel Aduocati Sacerdotum Ranshouensium more maiorum fuerunt de familia Burghusiana procreati, qui variè ab ædibus & pagis, vbi habitârunt, cognominantur, nempe Comites de Schalach: Comites de Hægiromosa, Comites de Burghusio. Defecerunt circa Annum Christi 1164. successerunt Duces Boiariæ.